

III.

NEOVIDENSIS.

Nro 5. (*Neovidensis Nro 28.*)

Trans fluvium Lethe habitantes salutant

Danubii, & Tibisci accolas

COLLOQUIO POLITICO.

Elysium --- Meum. --- Die Martis 17 Apr. 1804. (*Neov. 3 Apr.*)

Donec longa diés perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Ætherium sensum.

Virg. Æneid. l. 6. v. 745.

Colloquentes:

Io, et Metis.

Io.

Chara filia Oceani, cogor tibi sincere, quod sentio, aperire; Græcorum nostrorum provincialium allegorica fides mihi semper visa est insulsa humani ingenii stultitia: Rem totam puto esse aniles fabulas, recreandis prolibus aptas.

Metis. Filia Inachi! Ego quoque idem jam sæpius animo volvi. Sed perpende sis, si quilibet Mythologiam stultitiæ loco habue-

rit, nos, nostra nomina, nostra allegorica significatio erit similis Sacerdotio hodiernorum temporum — sine pensione, sine bonis.

Io. Audi, quæso, quæ de me circumferantur: Io, filia Inachi, venustæ formæ puella, Patrem Deorum captivavit: at Juno zelotipia accensa implacabili odio eam persequabatur; ut adeo Jupiter coactus fuerit eandem in albam vaccam transformare, quam sibi dono dari expetiit Juno, Argoque custodiendam tradidit. Hic demum jussu Jovis a Mercurio interemptus est, vacca autem trans Provincias, & maria acta in Ægypto tandem conquievit, ubi humanam naturam & pristinam formam recepit, Jovemque mascula prole Epapho beavit. Videtur apud Græcos ea fuisse Symbolum Lunæ.

Metis. Quid? chara Io! te vaccam fuisse dicunt? Meministine, quomodo gramen, trifolium, rapæ, & placentæ oleo unctæ tuo palato arriserint? Nihil sensisti, dum mulgebaris?

Io. Medius fidius, nunquam vaccæ speciem indui; Hæc sunt meræ græcicæ ineptiæ.

Metis. Amabilis, aperti animi Virgo! Quæ fuit centum annos nato Argo conformatio vultus? Quomodo centum ejus oculi collocabantur?

Io. Me Hercle! nec jota in tota narratione verum, ausam jurejurando confirmare.

— Sed quam tu agis personam in Mythologia ?

Metis. Edisseram paucis : Metis filia Oceani, & conjux Jovis vaticinio oraculi paritura erat filium, qui sapientia & prudentia neminem haberet parem, & qui summum tam in Deos, quam homines imperium obtineret. Ut igitur malum sibi imminens averteret Júpiter, glutivit illam una cum Minerva, quam utero gerebat, & quæ deinde ex ejus cerebro nata fuit.

Io. Interrumpe tantisper, benigna Metis, ut ridendo satier. Potestne quis vel micam rationis habens tales stupiditates sine risu audire? Quid? Jupiter te suo stomacho ingessit tanquam frustum bubulæ, vel artocreatis ansere farti? Edepol tu fueris frustulum, ille autem egregie famelicus. Quid? venustam, bene formatam puellam totam quantam abligurire? hoc profecto impudentem sapit allegoriam, & qui hic aliquid magni, aut sublimis invenit, ita esuriens ingenium habeat, sicut Jupiter stomachum, oportet.

Metis. Et considera — sed risum teneo — quid hinc prognatum sit.

Io. Papæ! Hoc significat hominem traducere; ille te glutivit, una cum Minerva, deinde caput ejus parturiebat, & peperit — quid? Minervam.

Metis. Ut verum fatear, hoc est alienum a ratione. Licitum quidem est joculari; sed hac methodo artem obstetriciam exercere? adver-

satur honori, quem omnis bene morata mulier inter cultiores homines meretur.

Io. Hac in re maxima consideratione dignum est, Minervam, Deam, Tutricem, & promotricem scientiarum, atque etiam fortitudinis, ita joculari modo lucem primam aspexisse. Hæc omnino est singularis tam Græcorum, quam Latinorum Poëtarum insolentia.

Metis. — Atque tali libidinoso Deorum principi templa ædificabantur, & sacrificia fiebant?

Jo. Ea est conditio hominum, ut sæpe manifestas etiam ineptias adoptent!

Metis. Ad numerum ejus uxorum pertinebam ego, Themis, & Juno, quam ille sub specie cuculi accessit, sed illa abjecta eandem sororem suam sibi matrimonio junxit. Ex hoc conjugio nata est Hebe, Eileithya, Arge, Vulcanus, & Mars; sed matrimonium hoc minime erat exemplum concordia. Antiquitas plures adhuc commemorat divinas partim, partim humanas mulieres, quarum amore captus erat. Merito stupemus in Rege Deorum tantam lasciviam; qui suis viribus, & artibus abusus est ita turpiter, ignorans suis affectionibus imperare, ut adeo sæpe deridiculo fuerit aliis Divinitatibus, uti etiam, quod Junonis suspicionem de violata fide conjugali sine intermissione aluerit. Inter præcipuas ab eo amatas referuntur sequentes: Latona, quæ ob amorem hunc multa, & gravia passa est, peperit ei Apollinem, & Dianam; Ex

Venere Dionen, ex Proserpina suscepit Cererem. Semele enixa est Bachum, Alcmena semideum Herculem, Tu Epaphum, & Danae Perseum. Ledæ se associavit in forma Cygni, Europæ vero ut taurus: Illa genuit Helenam, & Pollucem; ista Legislatorem Minoim. Præterea fabulosa historia nominat: Antiopen, Nioben, Æginam, Majam, Eurynomen, Taygeten, Electram, Asteriam, & plures alias, quas peculiari affectu prosequatur. Itaque familia ejus latissime patebat.

Jo. — Quomodo poterat unquam culta natio talem de Diis doctrinam in exemplum assumere?

Metis. — Quisque suos patitur manes, quæque ætas suas habet stultitias. Eapropter non est mirum, fabulosis illis temporibus obnugas etiam fuisse bella gesta. Recordaris pulchræ Helenæ, & oppugnationis Trojanæ? Helena (canunt Vates) filia Jovis ex Leda non solum venustate, sed probitate etiam prædita puella, ornamentum Spartæ. Ejus irritamenta jam prima juvenus prodebat; Corporis habitus, atque elegantia, qua in festis Dianæ sacris saltaverat, omnes viros rapuit in sui amorem: Theseus, & Pirithous eam adhuc parvulam vi abduxerunt, & sorte obvenit Theseo, a quo in Atticam asportata fuit, verum a fratribus suis Castore, & Polluce in pristinam libertatem asserta. Fama ejus pulchritudinis in dies latius serpebat adeo, ut primarii Græciæ viri eam procarent.

tur. At illi præplacuit Menelaus: Has nuptias veteres miris commendant laudibus. Una Venus erat, quæ illis pœna dignum intulit amorem, & diuturnum concivit bellum. Promiserat illa Trojano Principi Paridi, quod se formosissimam Dearum pronunciaverit, mulierem pulcherrimam in matrimonium, videndamque Helenam exhibuit, cujus amore illico exarsit. Fida conjux multum in animo reluctabatur, at Venus eam inconstantem reddidit, & ad violandam fidem conjugalem persuasit: Verum tunc etiam adhuc secum pugnabat, & quasi sibi erepta a latere Menelai avulsa est, & Trojam abducta. Antiqua simulacra fuse exhibent fata Helenæ. In hoc porrigit illa Amori arcum, cujus sagittam hic tradit Paridi, qui eam in Helenam tendit, a cujus tergo consistit Pytho, Dea pervasionis. In isto effectum visitur tempus, quo Paris cum Helena in littore maris stans in procinctu erat conscendendi navim: Paulo inferius fluvium Eurotam, ad quem sparta jacebat, repræsentat barbarus vir urnæ innixus. Alibi autem pinguntur Helena & Paris curru volantes insequente Menelao.

Tota Græcia ob hunc raptum fuit bello implicita; incolæ enim ulturi injuriam adhæserunt Menelao. Castra promota sunt ad Trojanam urbem. Helena spectavit duellantem Menelaum cum Paride, sed hunc Venus nube contexit, ideo ex loco pugnæ illæsus domum reductus est, ubi Helena pœnitenti-

ne sui facti tacta, eundem graviter increpuit. Attamen Venus amorem iterum redintegravit. Paride in bello occiso Helena venit in manus Deiphobi tanquam præmium sui excellentis certaminis. Expugnata demum Troja cum marito suo Menelao iterum remeavit Spartam, duxitque vitam plenam concordiae, & prosperitatis. Post mortem conjugis fertur Lacedæmone fuisse expulsa, concessisque in insulam Rhodum, atque hic ad instigationem Polyrys vitam laqueo finivisse.

Jo. — Pulcher finis tam celebris pulchritudinis! Et quæ hinc doctrina moralis? forte, ut pulchritudines, postquam consenerint, suspendantur?

Metis. — Amabilis Jo! risu excipiamus stultitias mortalium; Quævis ætas suas habet rugas; Tantarum rerum experientia eos nondum docuit sapere. Nemo ante mortem beatus.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes quoque libri prostant:

Bárdosy, Moldavenfis vel Szepiensis Decimæ Indagatio est proxima terræ Szepusiensis, & huic innexarum, sacro - profanarum Jurisdictionum evolutio. 4. maj. in charta scriptoria 2 fl. 30 xr. in impressoria 2 fl.

Gubernath, Institutiones Linguæ & Litteraturæ Hungaricæ cum Phrasologia, & Syntaxi ornata. 1803. 8. Toni II. 2 fl. in charta scriptoria 3 fl.

Manuale Catholicum continens Officium B. M. V. Defunctorum, de SS. Sacramento, S. Crucis, Psalmos Graduales, Pœnitentiales; Hymnos per totum annum, & varias preces cum cogitationibus Christianis R. P. Bouhours pro quolibet die mensis. 12. cum effigie B. M. V. 48 xr. in charta postali. 1 fl. 12 xr.

Historia Regni Hungariæ e probatissimis Scriptoribus synoptice deducta. Posonii 1804. 8. maj. 1 fl. 30 xr. script. 2 fl. 15 xr.

Theophron, vagy a' tapaszalt Tanácsadó a' tapasztalatlan Iffjuslág Halznára. 1804. in 8. 1 fl. 45 kr. Posta papirofra 3 fl. Fényes papirofra 6 fl. 40 xr.

Elisa, avagy millyennek kell lenni az Afzszonyának. 8. 1 fl. 30 kr. in Charta scriptoria 2 fl.

Atala, ou les Amours de deux Sauvages dans le Désert, par F. A. Chateaubriand. 12. rélie 1 fl. 8 xr. sur Papier de Poste. 2 fl. — Velin 4 fl.

Atala, vagy két Indus' szerelme a' Luizianai Pusz-tákon. Kötve 1 fl. 8 kr. Posta papirofra 2 fl. Fényes papirofra 4 fl.

Jantin & Montigny. Conte Moral. Par l'auteur du Sudmer, à Presbourg, & se trouve à Paris 1804. 8. 1 fl.

Aufklarung, wahre, nach dem Geiste Jesu Christi, oder ächt katholische Auslegung der an jedem hohen Festtage des Herrn vorkommenden lehrreichen Evangelien und Episteln, nebst daraus gezogenen Glaubens- und Sittenlehren, zur nützlichen Beschäftigung für Hausväter und ihre Untergebene. 8. 1799. 30 fr.